

Omniū quippe animos *vana fiducia de terreno Messiae regno* occoecaverat. Quam cum ex Esaiā ceterisque divinis scriptoribus haurire non potuerint; per inordinatum rerum humanarum amorem, qui, ut spiritualia & aeterna in justo minori ponantur pretio, efficit, eorum animis insinuatam fuisse, facile intelligitur. Sufficiat nobis, ex Esaiā didicisse, recentioribus multo *rectius de Messia* iudicasse veteres in Iudaica gente *fideles*. Hos vero deserentes miseri nostrorum quoque temporum appellæ, hoc luce meridiana radians Esaiæ de Messia vaticinium ad suam gentem tam misere detorquent, ut eos ad clarissimam lucem oculos obstinate occludere manibus palpare possis. Persuadere nobis volunt, (i) per suam gentem exoratum & placatum esse Deum, ne propter ceterorum iniquitatem conditum a se mundum devastaret. Apage nugas! Per gentem; quæ quidem, quantum in se fuit, horrendis suis eam devastavit facinoribus. Cur, quæso, toties deserta jacuit Palæstina? Cur hunc in diem jacet? Ita vero comparatum humanum ingenium est, ut eorum, quæ suo non patrocinantur errori, perversam facile comminiscatur interpretationem. *Nolunt Messiam, qualem promisit Esaias.* Quid igitur illis reliquum est, nisi ut de Messia eum vaticinari negent? Nobis vero hujus vaticinii non eripient evidentiam. Sive enim illud legas, sive Iesu Nazareni apud evangelistas, cujus in dubium vocare nequeunt veritatem, historiam: idem te legisse dices; ibi in com-

A 3

pen-

(i) Ad Es. LIII, 6.